

III  
E  
16

4

Königl. evang. Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Posen.  
XXXIII.

---

Zu der  
Dienstag den 19. März und Sonnabend den 13. April stattfindenden  
öffentlichen Prüfung aller Klassen

so wie  
zur Feier des Geburtsfestes Sr. Majestät des Königs

**WILHELM**  
am 22. März 1867

ladet  
im Namen des Lehrer-Collegiums  
*alle Beschützer Gönner und Freunde des Schulwesens*

ehrerbietigst und ergebenst ein


**Professor Dr. Julius Sommerbrodt**  
Director.

---

Inhalt: 1. Quaestiones criticae in Senecam rhetorem. Scr. R. Wachsmuth.  
2. Schulnachrichten. Vom Director.

---

**POSEN**  
gedruckt in der Königl. Hofbuchdruckerei von W. Decker & Comp.



III

E

16

III  
E  
16

4

Königl. evang. Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Posen.  
XXXIII.

---

Zu der  
Dienstag den 19. März und Sonnabend den 13. April stattfindenden  
öffentlichen Prüfung aller Klassen

so wie  
zur Feier des Geburtsfestes Sr. Majestät des Königs

**WILHELM**  
am 22. März 1867

ladet  
im Namen des Lehrer-Collegiums

*alle Beschützer Gönner und Freunde des Schulwesens*

ehrerbietigst und ergebenst ein

**Professor Dr. Julius Sommerbrodt**  
Director.

---

Inhalt: 1. Quaestiones criticae in Senecam rhetorem. Scr. R. Wachsmuth.  
2. Schulnachrichten. Vom Director.

---

**POSEN**  
gedruckt in der Königl. Hofbuchdruckerei von W. Decker & Comp.

ak895

Königliche Provinz-Verwaltung zu Posen.



Nr. 1316

Öffentlichen Prüfung aller Klassen

zur Feier des Geburtstages Sr. Majestät des Königs

WILHELM

am 22. März 1862

M. 39462

Alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulerens

Professor Dr. Julius Sommerbrodt



Vertrieben durch die Königl. Hof- und Provinzdruckerei von W. Decker & Comp.

## Quaestiones criticae in Senecam rhetorem.

---

Annaei Senecae librum in quem oratorum et rhetorum sententias divisiones colores contulit temporum iniuria in miserrimum corruptionis locum deductum postquam multi viri docti coniec-tando ad aliquam pristinae integritatis similitudinem redigere studuerunt, quorum potissimi sunt Nicolaus Faber Johannes Fridericus Gronovius Johannes Schultingius, primus Conradus Bursianus accuratis codicum Antwerpiensis et Bruxellensis collationibus usus firmiter operis fundamentum iacere voluit in editione quae Lipsiae prodita est anno huius saeculi quinquagesimo septimo. Verum etiam post Bursianum multa viris doctis curanda restant. Namque ut alia mittam quorum posthac exempla proferentur atque illud in quo summa rei posita est, quod ne nunc quidem plane cognitum est quanti cuiusque codicis aestimanda sit auctoritas, et Bruxellensis et Antwerpiensis et aliorum codicum fere despectorum a Bursiano, qua de re accuratius disputavit Konitzer in disser-tatione inaugurali quae est inscripta „quaestiones in Senecam patrem criticae“ (p. 3. sqq.): multis locis iam pridem emendatis quasi reddidit Bursianus suum squalorem, in multos qui iam pridem correcti sunt corrigendos iterum opera impensa vere statuit antea vere statuta, in multis non sus-pectis antea falsa pro falsis posuit. Augiae illud Gronovianum stabulum etiam nunc purgaturis ut pateat. Quamquam nihil Bursiani de gloria detrahimus, cuius viri quanta in hac re sint merita haudquaquam nos fallit. Hoc autem in libello eius tantummodi generis locos tractavimus quorum vitia aut non perspecta praetermiserint viri docti — quae plerumque sive sustulimus sive tollere studuimus, aliquoties demonstrata reliquimus desperata emendatione — aut perspecta haud pro-babili ratione corrigere conati sint. Ceterum ut quod sentimus profiteamur iam taedet diutius commorari in his regionibus piratis tyrannis parricidis aliis prodigiis repletis, procul a rerum natura sitis, quapropter in aliam protinus provinciam bonae frugis pleniorum demigrare in animo est.

Videamus primum, quale iudicium faciendum sit de loco in praefatione ad primum controversiarum librum, ubi Seneca pristinam memoriae suae praestantiam his verbis effert (p. 47, 3. edit. Burs.): *(memoriam) aliquando in me floruisse ut non tantum ad usum sufficeret sed in miraculum usque procederet non nego: nam et duo millia nominum recitata quo erant ordine dicta reddebam et ab his qui ad audiendum praeceptorem meum convenerant singulos versus a singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum quae vellem velox mihi erat memoria, sed etiam ad continenda quae acceperam. Nunc iam et aetate quassata et longa desidia quae iuvenilem quoque animum dissolvit eo perducta est, ut etiamsi potest aliquid praestare non possit promittere: diu ab illa nihil repetivi. Solebat bonae fidei esse. Nunc quia iubetis quid possit experiri et illam omni cura scrutabor.* Perpendamus quae res discernantur his verbis: *nec ad complectenda tantum quae vellem velox mihi erat memoria, sed etiam ad continenda quae acceperam.* Aut enim ea quae consulto vellet memoria complecti sive continere Seneca discernuntur ab eis quae forte accepisset, aut ea quae complectebatur ab eis quae continebat. Atque id, quod priore loco posui sic quidem placere posset, ut statuamus, non solum ea, quae dedita opera Seneca memoria tenere voluisset, eum tenuisse, velut illos, quorum mentionem facit, ducentos versus, ad quos statim recitandos ipsi Senecae aliqua memoriae intentione opus fuisse credendum, sed etiam illa ei haesisse, quae non ut teneret operam dedisset, sed quae hic illic forte ei oblata essent. Attamen quominus in ea re discrimen positum esse iudicemus gravissima obstant impedimenta. Primum enim his quibus utitur Seneca verbis ea sententia expressa non est, cum ad eam legentibus perspicue explicandam accipiendi verbum non sufficeret, sed tale aliquid deberet addere quale est fortuito, passim, vel simile verbum. Verum enim vero ne talibus quidem verbis prolata sententia recte se haberet. Vtra enim quaero memoriae virtute opus est ad ea sive complectenda sive continenda quae hic illic occurrunt, utrum velocitate an fide? Scilicet sine velocitate memoriae nobis desperandum est cum nullo uno temporis momento interposito red-denda sunt memoriae proposita: passim et fortuito illi obvenientia qui temporis spatio interiecto expromere velit, fidem memoriae, me duces si sequetur, exercebit. Ac profecto in illo quod Seneca ingressus erat opere, ut filiis priorum rhetorum sententias referret, frustra puto laboravisset, si illa quam praedicat memoriae velocitate tantummodo usus fuisset, fide destitutus. Atque iam opinor vides non solum de eo quod priore loco posui iudicium factum sed etiam de eo quod posteriorem locum obtinet. Siquidem ad complectendas sive occupandas res memoriae velocitas apta est, ad continendas sive retinendas nil facit. Quis autem tam negligentem in scribendo fuisse Senecam censebit, ut quae ad clare et perspicue exprimendam sententiam nullo modo desiderari queant illa ipsa omitteret? Sit suus honor scriptori eleganti, qui eum quidem ex rhetorum disciplina fructum percepit, ut acuta verborum et sententiarum ἀριθμῶσαι utatur. Attendas igitur velim sequentia verba:

(memoria) nunc . . . eo perducta est ut etiamsi potest aliquid praestare non possit promittere: diu ab illa nihil repetivi. Solebat bonae fidei esse. Nunc quia iubetis quid possit experiar et illam omni cura scrutabor. In his molesta sunt verba: solebat bonae fidei esse, neque enim novi quidquam addunt et sententiae progressum impediunt, qui est in verbis: diu ab illa nihil repetivi — nunc quid possit experiar. Sed ne diutius moremur in re manifesta, scribe: nec ad complectenda quae vellem velox mihi erat memoria, sed etiam ad continenda quae acceperat (hoc enim verbum, quod iam Bipontina editio habet, probandum est) solebat bonae fidei esse. Nunc iam et aetate quassata e. q. s. Discernuntur, quae memoria complectitur, id est concipit, et ea quae continet sive tenet postquam concepta sunt. Errorem in verbis scribendis potuit admittere librarius qui cum crederet verba sed etiam ad continenda, quae acceperat cum voce velox iungenda esse sequentia omitteret. Deinde fortasse in marginem adscripta locum occupaverunt qui aptus eis tantummodo videretur.

Primae libri primi contraversiae hoc est thema: liberi parentes alant aut vinciantur. Duo fratres inter se dissidebant, alteri filius erat, patruus in egestatem incidit, patre vetante adolescens illum aluit, ob hoc abdicatus tacuit, adoptatus a patruo est, patruus accepta hereditate locuples factus est, egere coepit pater, vetante patruo alit illum, abdicatur (sic scribendum cum Kiesslingio, kritische beiträge zum rhetor Seneca p. 39). Leguntur ibi p. 59, 9 haec Cestii Pii verba: quae causa fuerit discordiae nescio: timeo ne iste, prior egere coepit. Quid obicis, pater? Scio quendam in hac civitate propter istud crimen adoptatum. Crimen illud misericordiam esse coniectura quidem facile assequimur, sed tamen vocabulo carere non possumus. Atque hoc recte vidit Schultingius, in eo lapsus est, quod scribere voluit: quid obicis de patre? quod alui? hoc tu obicis? scio quendam et q. s. Veri similis enim est hoc loco factum esse quod saepissime factum videmus, ut pauca a librario omissa sint. Scribe: quid obicis pater? Misericordiam puto. (vel „misericordiam“? vel „luxuriam“? vel „luxuriam puto“ cf. p. 56, 22 „quid mihi obicis? Puto luxuriam“). Scio quendam in hac civitate propter istud crimen adoptatum. Verba ita omissa, ut librorum negligentia ne minimam quidem habeat excusationem sexcenties apud Senecam videmus, velut p. 70, 5 quid si tantum capta, quid si [tantum] prostituta, p. 72, 12 ambitiosa lex est, ad sacerdotium non ulla [nisi integrae] non sanctitatis tantum, p. 74, 9 castis cum dicit [intelligo castis] penatibus. Sic p. 55, 22 ubi haec leguntur: solebat autem (Porcius Latro) et hoc genere exercitationis uti, ut nihil praeter epiphonemata scriberet, aliquo die nihil praeter enthymemata, aliquo die nihil praeter has translaticias quas proprie sententias dicimus ante verba „nihil praeter epiphonemata“ aegre desideraveris „aliquo die“.

Pro patre dicentis Valli Syriaci p. 61, 3 haec verba legimus: inter cetera quae mihi cum inimico patior esse communia et hoc est: infelicissimam ambo et tristissimam egimus vitam, excepto uno quod alter alterum egentem vidimus, proiecimus. Proiecimus Bursianus, Bruxellensis habet proicimus, in vulgata legebatur „alter alterum egentem vidimus, immo fecimus“, Schultingius mavult „viderimus, immo reiecerimus“. Vocem proicere significare posse negligere, deserere, prodere notissimum est, sed hoc loco asyndeto „vidimus, proiecimus“ non augetur vis sententiae, sed retardato enunciati decursu aliquantum ponderis verbis detrahitur. Rhetoricam dictionem agnosceremus si scriptum esset: „infelicissimam ambo et tristissimam egimus vitam, excepto uno quod alter alterum egentem vidimus, alter alterum egentem proiecimus.“ Atque haec apud animum reputaveram, cum vidi paulo post a Seneca hanc sententiam iterari. Leguntur enim haec p. 65, 19: hunc colorem secutus Syriacus Vallus durum sensum videbatur non dure posuisse in narratione sic: infeli-

*cissimam ambo et tristissimam egimus vitam, excepto quod alter alterum egentem vidimus.* In quibus vox „uno“ tam levis est momenti, ut facile altero loco a Seneca omitti posset, vocem „proicimus“ priore loco expellendam esse crediderim, sive ista ex similitudine antecedentis verbi vidimus vel sequentis adiecistis (adiecistis Bruxellensis) nata est sive alii causae debetur.

Denique in eadem controversia de Marillo praeceptore suo p. 64, 21 haec refert Seneca : *Marillus novo colore egit: cecidit in pedes meos senex, squalidus barba capilloque: movit, inquam, nescio qui iste misericordiam meam. Adlevavi cum ignorarem quis esset: multis repellam quod pater est?* Potuit ita Marillus dicere, concedimus, omnia plana et sine offensione sunt. Sed tamen observanti mihi, eo more uti rhetores, ut verbo saepe clientibus suis defensionem parare, benevolentiam capere, adversariis insidias collocare, suspiciones movere studeant, magis etiam placeret: *cecidit in pedes meos senex squalidus barba capilloque: novit, inquam, nescio qui iste misericordia meam* e. q. s. Sentis acumen.

Secundae controversiae hoc est thema: „Sacerdos casta e castis, pura e puris sit. Quaedam virgo a piratis capta veniit; empta a lenone et prostituta est, venientes ad se exorabat stipem; militem qui ad se venerat, cum exorare non posset, conluctantem et vim inferentem occidit. Accusata et absoluta remissa ad suos est, petit sacerdotium.“ Recenset Seneca inde a p. 73, 6 divisiones Porci Latronis, Cestii, Silonis Pompei, Hispanis Romani, Albuci, Fusci Arelli. Latro duas fecit quaestiones: an per legem fieri sacerdos non possit; etiamsi lex illi non obstat, tamen sacerdotio indigna sit. An lege prohibeatur, in haec duo divisit: an casta sit, an pura sit. An pura sit, in haec divisit: an etiamsi merito occiderit hominem pura tamen non sit homicidio coinquinata, deinde an merito occiderit hominem innocentem uti corpore prostituto volentem. Videmus igitur verba legis „pura sit“ Latronem ad homicidium retulisse. Idemque Silonem Pompeium fecisse apparet, de quo haec Seneca p. 74, 2: „Silo Pompeius...illam quaestionem movit: casta e castis. Lex, inquit, e castis cum dicit, hoc non tantum ad parentes refert, sed ad omnes quibus conversata est virgo; non enim adicit „e castis parentibus,“ sed „e castis“ cum dicit vult illos a quibus venit virgo castos esse....Idem et in illa parte fecit: „pura e puris.“ Jam pergit Seneca p. 74, 13: *Hispo Romanus accusatoria usus pugnacitate negavit puram esse, non ad eam haec referens, sed ad corpus; tractavit impuram esse quae osculum impuris dederit, quae cibum cum impuris ceperit.* Quid igitur Hispo Romanus fecit, quid non fecit? Scilicet „pura“ ad corpus retulit, rationem secutus accuratius a Seneca descriptam, contendit impuram esse quae osculum impuris dederit, quae cibum cum impuris ceperit. Sed ad quid non retulit? Ad eam, hoc est ad ipsam futuram sacerdotem audimus non retulisse. Ergo homini corpus hominis opponi potest eo quo hic factum videmus modo? Nunquam id concedemus. Immo vero nil est certius quam Hispanem ad eam rem non retulisse, ad quam retulerunt, quos in praecedentibus Seneca recensuit. Ac Latronem et Silonem Pompeium verbum „pura“ ad homicidium retulisse supra vidimus, discessit in aliam sententiam Hispo. Quapropter lege: *Hispo Romanus accusatoria usus pugnacitate negavit puram esse, non ad caedem haec referens, sed ad corpus* e. q. s. Litterae caed sive ced post vocem ad facillime poterant omitti, reliqua sensu cassa mutari in eam.

Sextae controversiae thema hoc est: „captus a piratis scripsit patri de redemptione, non redimebatur. Arcipiratae filia iurare eum coegit, ut duceret se uxorem si dimissus esset; iuravit. Relicto patre secuta est adolescentem. Rediit ad patrem, duxit illam. Orba incidit. Pater imperat ut arcipiratae filiam dimittat et orbam ducat, nolentem abdicat.“ Commemorantur in tertia parte, quae varios rhetorum colores continet, primum Latronis, Hispanis, Buteonis, Fusci Arelli pro

patre dicentium colores, deinde Seneca hunc in modum pergit (p. 96, 22): *Gallio illud quod omnes scolastici transierunt dixit: timere se ne haec speculatrix esset et piratis occasiones omnes indicaret, aut certe ne videretur, nolle se suspectum esse reipublicae. Illi iurasse: timuit ne puella videretur improbe iusiurandum exegisse. Ne quid liberi sibi esset adiecit iurasse se per patrem. Triarius dum sententiam puerilem captat inepte dixit iurasse se et per orbam. Aiebat enim Cestius valde fieri hanc orbam etiam iurasset. Latro aiebat quoque iusiurandum ineptum esse; nihil enim minus convenire quam aliquem per patrem iurare patrem relicturae. Omnes honestam matrem puellae dederunt, omnes dixerunt illam misericordia motam, non amore. Hunc locum non uno mendo deformatum esse arbitror. A principio quidem sententiae recte procedunt, calumniatur Gallio piratae filiam tamquam speculatricem, tueri illam iusiurandum negat improbe a captivo exactum. Jam vero sequentia ne quid liberi sibi esset adiecit iurasse se per patrem rhetoris esse non pro patre sed pro filio dicentis apparet, ita ut recte Schultingius ad h. l. adnotet: „quae sequuntur satis apparet pro filio esse dicta, et proinde alterius sine dubio rhetoris, qui pro illo colorem introduxerit. Temporum igitur aut librariorum iniuria hoc loco mutila est controversia.“ Sed quod de medela desperaret non fuit, feliciter enim evenit ut quis fuerit ille rhetor paene extra dubitationem positum sit. Namque excepto Triario, de quo postea dicemus, nemo rhetor eo iureiurando usus est, quantum quidem per Senecam affirmare licet, nisi Julius Bassus, cuius verba haec exstant p. 93, 9: *promisi nuptias et quasi aliquam sacram testationem tuum nomen inserui.* Hoc igitur primum pro certo habebimus, iterum hoc loco Julium Bassum illo artificio usum dici, ut, quo certiore argumento filii erga patrem amorem illustraret, filium per patris sanctissimum carissimumque nomen iurare fingeret. Videamus iam sequentia. Narratur Triarius eadem ratione ridendum in modum usus dixisse se etiam per orbam iuravisse, adduntur haec: *aiebat enim Cestius valde fieri hanc orbam etiam iurasset.* Quae cum sensu careant id tamen ex voce „enim“ manifestum est continuisse corrupta verba causam cur Cestius Triarii verba inepta iudicaverit. Codicum vero auxilio nos privatos ipsa ratio ducit et clarissime docet nil potuisse Cestium contra Triarium proferre nisi hoc, filium, si per orbam iurasset, profecto in eam odium habere non posse. Hanc igitur ad rationem locus sanandus erit. Denique tertium vitium in eis quae sequuntur verbis inest: *Latro aiebat quoque iusiurandum ineptum esse, nihil enim minus convenire quam aliquem per patrem iurare patrem relicturae.* De quibus recte Schultingius: res ipsa clamitat per patrem excidisse et scriptum fuisse „Latro aiebat per patrem quoque iusiurandum ineptum esse.“ Primo loco scribe: *ab altera parte* (vel „a parte filii,“ talibus enim verbis plerumque alterius partis colores ducuntur) *Julius Bassus, ne quid liberi sibi esset adiecit iurasse se per patrem.* Secundo loco quae verba ponenda sint ambiguum est.*

Sequentis controversiae, quae est libri primi septima, hoc est thema: liberi parentes alant aut vinciantur. Quidam alterum fratrem tyrannum occidit, alterum in adulterio deprehensum deprecante patre interfecit. A piratis captus scripsit patri de redemptione. Pater piratis epistolam scripsit, si praecidissent manus duplam se daturum. Piratae illum dimiserunt. Patrem egentem non alit. Pro filio Cestius p. 99, 11 haec dicit: *quare non alo? quia captum filium tuum, age parum est si dixero non redemisti. Alere non possum, perdidit manus. Non credis? Epistolas lege. Duplam pecuniam dabas, avaris dabas, piratis dabas, sic excusabant piratae, ipsas mihi cum praeciderent manus: pater iussit, aiebant, magnum facinus est, sed magno licet.* Negat filius se patrem alere posse, cum manus perdidisset. Non potuisse piratas, quin illud facinus perficerent, homines avaros, quibus dupla pecunia promissa esset. Magnum facinus excusavisse illos patris voluntate magna pecunia. Verba *sic excusabant piratae, ipsas mihi cum praeciderent manus* de corruptela suspecta

habeo. Namque verbum „ipsas“, quo indicatur quantum sit scelus manus homini praecidere super-  
vacaneum atque adeo ineptum est, cum hic non id agatur ut piratarum, sed ut patris sceleris  
magnitudo describatur. Haec enim sententia sit necesse est: duplam pecuniam dabas, quae magis  
illos ad scelus illiceret, avaris dabas, piratis dabas, quod hominum genus vel exigui lucri spe in  
facinora adducitur, attamen tam foedum facinus erat, ut scelerati illi homines excusarent praemii  
magnitudine et patris voluntate. Hinc efficitur ut scribendum sit: *sic excusabant piratae ipsi, mihi  
cum praeciderent manus: pater iussit, aiebant, magnum facinus est, sed magno licet.*

Pergit deinde Cestius his verbis: *egens sum, inquit. Mentiris. Cedo mihi patris mei censum.  
Quid? ergo ales patrem? Dimissus fortasse promittam, cum rogaveris, nihil paciscor.* Etiam haec  
vereor ne vitio inquinata sint. Prima quidem perspicua, negat filius patrem pauperem esse, quod  
ut evincat eius censum petit. Sed iam sequentia accurate perpendamus. Interrogatur ab altera  
parte filius: *quid? ergo ales patrem?* Respondet dimissum se fortasse facturum, nihil se promittere.  
At hercule filio, si patrem divitem esse suspicatur, neque nunc quidquam paciscendum neque di-  
misso quidquam promittendum est. Sed dignum responsum quod sequatur interrogationem sensu  
carentem. In his enim sententiae recte antea procedentes conturbantur: „quid? ergo ales patrem?“  
Quomodo enim vel admodum obtusae mentis homo — quales rhetorisci isti adversarios suos fingere  
solent — propterea quod filius patris censum petit sperare potest velle filium patrem alere? Pro-  
inde scribe, ut sententia insit in verbis: *quid? ergo ales pauperem? Dimissus fortasse promittam  
cum rogaveris, nihil paciscor.* Quod ita accipiendum est: „tu patrem pauperem esse non credis?  
Quid si census illius tuae refragetur sententiae, quid facturus es? Aliturus videris.“ Neque vero  
hoc nihili faciendum, quod, cum et antea et postea filius ad ipsum patrem orationem convertat,  
his verbis non ipse pater sed eius patronus responderet.

P. 101, 7 haec Juli Bassi verba leguntur: *duxi uxorem nimium fecundam, peperit mihi tria  
nescio quae prodigia variis generibus inter se et iudicia furentia: alium qui patriam posset oppri-  
mere, alium qui fratrem, alium qui patrem. Testor, iudices, omnes cives meos, una servivimus, nemo  
tyrannidem me uno sensit magis. Argumentum habeo maximum, quod vivo: non pepercissetis mihi, si  
putassetis me patrem tyranni. Dum inter se pugnant, vicit republica. Reliqui duo, quia non poterant  
in nos, inter se tyrannidem exercuerunt.* Ubi primum illa prodigia variis generibus inter se et iu-  
dicia furentia mihi suspiciosa sunt, et recte puto in vulgatam verba excerptorum recepta esse:  
*prodigia inter se et me furentia*, et in sequentibus: *unum qui patriam posset opprimere, alium qui  
fratrem violare, alium qui patrem.* Opprimendi enim verbum in patria rectum, in patre et fratre  
absurdum esset. Verbum „iudicia“ (vel potius iuditia, sic enim scriptum in Bruxellensi) deberi  
videtur dittographiae verbi furentia sive furētia. Sed videamus sequentia: *testor, iudices, omnes cives  
meos, una servivimus, nemo me uno tyrannidem sensit magis. Argumentum habeo maximum, quod vivo:  
non pepercissetis mihi si putassetis me patrem tyranni.* At ne minimum quidem vestigium exstat, ex  
quo suspicari possimus, Julium Bassum eum pro patre colorem introduxisse ut pater se revera  
tyranni patrem esse negaret idque civibus suis probare studeret. Immo vero Bassum verum pa-  
trem egisse sequitur ex eis omnibus eius sententiis, quas Seneca nobis servavit. Ut non probandus  
sit Schultingius, qui verba sic explicat: „quia vero omnium habebam crudelissime, nihil in me sae-  
viistis: nec enim inducere poteratis animum uti crederetis hunc mihi verum filium esse.“ Ego non  
dubito quin emendatione locus egeat. Neque ita difficile est pristinam verborum conditionem investi-  
gare. Indicio sunt verba: „una servivimus, nemo tyrannidem me uno sensit magis.“ Quibus refuta-  
tum vult pater opprobrium tamquam non una cum civibus suis tyranno servivisset, sed eius socius

fuisset. Itaque verba lacuna deformatata esse puto his verbis removenda: *non pepercissetis mihi, si putassetis me patrem tyranni esse etiam socium tyranni*. Ceterum in his Juli Bassi sententiis negligentius rem gessit Seneca. Vide enim sequentia: *dum inter se pugnant vicit respública. Reliqui duo quia non poterant in nos, inter se tyrannidem exercuerunt. Habebat iste nescio quam uxorem, quam in arce cognoverat*. Ex his apparet Julium Bassum narrationem ita instituisse, ut initio tyrannum cum fratre percussore futuro consociatum tyrannidem exercuisse, postea discordia orta ab eo interfectum esse fingeret. In qua narratione quibus verbis usus fuisset Bassus Senecam fugisse videtur, attamen debebat eam rem in coloribus paucis commemorare. Corruptelae autem genus quod etiam hunc locum occupavisse putamus frequentissimum est apud Senecam. De quo recte Konitzer (quaestionum in Senecam patrem criticarum p. 28): „ipsum rhetoricum dicendi genus, cuius non parvus ornatus in repetitione eorundem verborum situs est, saepe in causa fuit, cur negligerent librarii eas orationis particulas quae eadem voce et terminantur et incipiunt.“ Veluti p. 90, 25 post „in cuius honorem“, omisa sunt verba „occidatur, me indignam in cuius honorem“, p. 197, 17 post „Popillium“ omisum, „quam nemo Popillum“, sexcenties alibi. Idemque factum videmus in singulis verbis ne eisdem quidem aliquoties, sed similibus. Ac multis quidem eius modi locis iam ab aliis auxilium latum est, vel excerptorum vel tantum ingenii ope utentibus, restant tamen multa quae tali modo emendare possis. Veluti p. 272, 28 pro *memini illum Syriacus Vallus, homo disertus, accusaret* Bursianus scripsit „memini cum illum“, magis credibile est post illum excidisse cum. Sic aliquoties in ea libri decimi controversia, cuius hoc est thema: reipublicae laesae sit actio. Quidam expositos debilitabat et debilitatos mendicare cogeat ac mercedem exigeat ab eis. Reipublicae laesae accusatur. Ibi p. 317, 12 haec legimus: *quid si aliquis ex istis futurus est tyrannicida? quid si sacerdos? nec puto incredibilia in hac fortuna loquor, certe ex hac turba origo Romanae gentis apparuit*. Contra excerpta sic (p. 449, 5): „quanti ex his viri fortes, quanti tyrannicidae, quanti futuri sacerdotes? nec incredibilia loquor: ex hac fortuna origo Romanae gentis apparuit.“ Quae nimis anxie premens vulgata haec habet: „quanti ex his fortes viri, quanti tyrannicidae, quanti futuri sacerdotes“ et q. s. Scribendum censeo: *quid si aliquis ex istis futurus est vir fortis? futurus est tyrannicida? quid si sacerdos? Nec puto incredibilia* et q. s. P. 320, 20: *attamen crudelem rem facis. Et lanista nec damnatur reipublicae laesae?* Non probandus Schultingius, qui scribi iussit „annon crudelem rem facit et lanista?“ Quis enim non videt haec fuisse: *attamen crudelem rem facis. Facit et lanista nec damnatur reipublicae laesae*. Atque haec hoc loco sufficient, alia eiusdem generis si erunt suis locis ponemus. Nunc absolvenda septima controversia.

Ibi p. 105, 15 Seneca haec narrat: *Albucius omnes colores miscuit et, ut hoc liberum esset, patronum patri dedit nec voluit narrare*. Quam rationem postquam accuratius descripsit Seneca, sic pergit: *In hac declamatione Albius hanc sententiam dixit dubiam inter admirantes et deridentes: panem quem cani das patri non das*. At nusquam nisi hoc loco Albius iste commemoratur, ut mihi quidem certissimum sit pro illo Albucium substituendum esse, cuius notissimam sententiam non in alia, sed in hac ipsa controversia dictam Seneca filios certiores reddere vult. Et legitur Albucii nomen in prioribus editionibus, Albius in Bursiani editione non typographi errori deberi videmus ex indice rhetorum, in quem „Albius“ receptus est.

Octavae libri primi controversiae hoc est thema: „qui ter fortiter fecerit, militia vacet. Ter fortem pater in aciem quarto volentem exire retinet, nolentem abdicat.“ Pro filio Asprenas haec dicit p. 108, 21: *crede mihi, pater, non sum mei iuris, cum ille proclii clamor exortus est; invadere hostes libet, obstantes cuneos gladiis diducere; hic impetus, hic ardor animi domum tuam trinis hostium*



*spoliis adornavit, huic supplicationes illas debeo, propter hoc me etiam cum abdicas diligis.* Duas certe voces in his mutandas esse censeo, quorum altera est ‚libet‘ in verbis „invadere hostes libet.“ Etenim homini tanti ardoris, ut non sui iuris sit cum proelii clamor exortus sit non libet hostes invadere, sed necessitas eum compellit. Quare scribe: *invadere hostes iubet.* Praeterea lege: *propter hunc me etiam cum abdicas diligis,* ut sibi respondeant „hic impetus, ardor animi — huic — propter hunc.“ Neque enim propter spolia et supplicationes, sed propter ardorem animi etiamnunc a patre se diligi ait. Denique verisimile est legendum esse: *huic supplicationes illas debes,* cf. verba „hic ardor domum tuam trinis hostium spoliis adornavit.“ Vtrumque locum lenissima mutatione videmus in pristinum statum reduci posse. Omnino autem etiam post Bursianum multi loci congeri possent, quibus paucae litterulae sensum ademerint, ubi ille aut mendum reliquerit aut falsa pro falsis posuerit.

Ex quibus hos proposuisse satis erit. Quartae primi libri controversiae hoc est thema: „adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrumque corpus interficiat, sine fraude sit. Liceat adulterium in matre et filio vindicare. Vir fortis in bello manus perdidit, deprendit adulterum cum uxore ex qua filium adolescentem habebat, imperavit filio ut occideret. Non occidit, adulter effugit, abdicat filium.“ Leguntur ibi p. 84, 1 haec: *ita ego manus etiam pro adulteris perdidit, steti deprehensus ab adulteris meis. Patris desertor, matris leno, quem puto iam creditis non esse filium viri fortis, tertius in cubiculo derisor stetit.* Scribe *steti derisus ab adulteris meis,* ut tres sint derisores. Derisus mutatum est in depreſus et deprehensus. In secunda controversia, cuius thema antea apposuimus, p. 74, 28 haec leguntur: *Marillus cum descripsisset, dignationem puellae magnam fuisse, altius quiddam superbiusque vultu ipso praeferentem, hanc adiecit sententiam.* Scribe *vultu ipso praeferente vel praeferentis.* P. 75, 24 *Silo Pompeius hac figura narravit: eam vobis sacerdotem promitto, quam incestam nulla facere possit fortuna. Potest aliquid servitus cogere, serviit et barbaris et piratis, inviolata apud illos mansit. Potest aliquam corripere prolapsi in vitia seculi prava consuetudo, etiam matronarum multum in libidine magisterium: pudica permanebit et q. s.* Legendum puto: *potest aliquam servitus cogere.* „Quam“ compendio scriptum in „quid“ mutatum est. In sexta controversia p. 93, 10 haec legimus: *(arcipiratae filia) eo loco me non deseruit, in quem venire etiam patres timuerunt.* B habet „patri inueſ“, A „patri inuerunt,“ excerpta „in quem venire etiam pater timuit.“ Scribe: *in quem venire etiam pater timuerit.* Denique in ipsa octava controversia p. 110, 11 haec legimus: *illum sensum veterem: iam pro viro forti nescio quid etiam lex timet, hoc loco Gallio posuit. Hoc quoque inquit: ter viro forti aut diffidit aut consulit.* At quem Gallio dicit ipse ille vetus sensus est aliis verbis expressus, ut sine dubio excerptorum lectio probanda sit, quae habent: *lex quoque, inquit, ter viro forti aut diffidit aut consulit.*

Nonae controversiae, quae est libri secundi prima, hoc est thema: „dives tres filios abdicavit, petit a paupere unicum filium in adoptionem. Pauper dare vult, nolentem ire abdicat.“ Leguntur p. 118, 4 haec Cestii Pii verba: *accipe vitae meae testem quem magni aestimas, divitem cui placere difficile est. Vultis scire quare patrem non relinquam, qui genuit me, qui educavit? Quia abdicavit. Diu dubitavi ille amicum temptarit an hic filium.* Perversa sunt verba „qui genuit me, qui educavit,“ quae apta essent enunciato huiusmodi: „vultis scire quare patrem relinquam qui genuit me, qui educavit.“ Neque enim illa sic interpretanda sunt: „vos qui scitis patrem me genuisse et educavisse tamen illa nihili aestimantes nescitis quare illum non relinquam.“ Nam quominus ita iudicemus impediunt verba „quia educavit“, quod si iam in verbis „qui genuit me, qui educavit“ inest causa monendi absurdum videtur illis verbis alteram causam addi. Sed etiamnunc pristinae

scripturae vestigium in Bruxellensi restat, qui habet „qua educavit.“ Scribendum est *vultis scire quare patrem non relinquam? Quia genuit me, quia educavit, quia abdicavit.* Sententia haec: „opinatus sum velle patrem quanto amore essem certissima abdicandi ratione experiri.“ Gradationis autem hoc genus, ut ultima orationis particula inopinatum quid addatur, apud rhetores usitatissimum est. Ceterum cum excerptis legendum est: *ille amicum temptaret an hic filium.*

P. 118, 16 *impera quod vis: navigabo, militabo, dummodo ubicunque fuero tuus sim.* B habet „negabo“, C „non navigabo“, scribendum esse puto *impera quod vis, non negabo, navigabo, militabo, dummodo ubicunque fuero tuus sim.*

P. 120, 25 „*si quaesierit aliquis, quae causa hominem adversus hominem in facinus coegit? — nam neque feris inter se bella sunt nec si forent eadem hominem deceant, placidum proximumque divino genus — quae tanta vos pestis, cum una stirps idemque sanguis sitis, quaeve furiae in mutuum sanguinem egere? quod tantum malum nostro generi fato vel forte iniunctum?* Pro nostro codex habet uni, ferebatur prius in editionibus humano, equidem nescio an scribendum sit *huic.*

P. 125, 9 (*Silo Pompeius*) *cum patri inutilem rem (adoptionem) diceret, tractavit quam grave esset filio carere unico quem alius concupisceret, et cum diceret divitem ipsum quoque qui tot haberet solacia filium quaerere, dixit: tibi non erit facile adoptare.* Scribe cum excerptis: *tractavit quam grave esset filio carere unico, gravius eo quem alius concupisceret.*

P. 128, 7 *Cestius illo colore: quos abdicatione non potuit terrere, putat se castigaturum adoptione. Non ille tuum filium concupiscit, suos corrigit: dum illis putaverit me satis minatum, abdicabit.* Pro „me“ B habet „te“, quamobrem scribe: *dum illis putaverit se satis minatum.*

Undecimae controversiae hoc est thema: „raptor nisi et suum et raptae patrem intra dies triginta exoraverit, pereat. Raptor raptae patrem exoravit, suum non exorat. Accusat dementiae.“ Leguntur p. 139, 23 haec verba Pompei Silonis pro patre dicentis: *haec audacia eius ex parte culpae meae est: nimium indulgenter nutritus est, omnia sibi putat licere, nil unquam me rogavit* (sic scribe cum Kiesslingio, beiträge p. 37, excerpta sequente). *Ignovit, inquit. Et aliquis ante me rogatus est?* Etiam in ultimis excerpta rectum servaverunt, quae sic locum exhibent: *ita aliquis ante me rogatus est?*

In eadem controversia p. 140, 22 hae Junii Gallionis sententiae leguntur: *rogo, inquit. Nunc, hic, sic? Si volebas rogare, admovisses propinquos, amicos, maiorum imagines, lacrimas, repetitos alte gemitus. Testor deos, sic rogaturus fui puellae patrem. Quando, inquit, vultum in supplicis habitum summiseris, cum dixeris: poenitet quod rapui, quod te priorem non rogavi, cum dixeris te dementem fuisse deliberabo cum amicis, deliberabo cum propinquis, deliberabo cum tua matre.* Offensio inest in verbis „quando, inquit, vultum in supplicis habitum summiseris“ et q. s. Namque verbo „inquit“ ea induci solent, quae adversarius in suam defensionem antea ab altera parte dictis opponere possit, quae deinceps sequitur refutatio adversarii. At enim hoc loco verba „quando vultis“ et q. s. non sunt adversarii sed ipsius patris, neque ulla excogitari potest causa cur verbum „inquit“ inter patris verba interpositum sit. Quam ob causam conicio legendum esse: *rogo, inquit. Nunc, hic, sic? Si volebas rogare, admovisses propinquos, amicos, maiorum imagines, lacrimas, repetitos alte gemitus. Rogo, inquit. Quando vultum in supplicis habitum summiseris* et q. s. Est hic rhetoribus mos, ut adversariorum argumenta paucis verbis conclusa aliquoties suis interponant, ut illa variis rationibus refellant vel ad rhetoricum artificium eis utantur. Cf. in hac ipsa controversia p. 141, 24 „quis unquam praeter me ignoscere iussus est? Jam, inquit, tempus angustum est. Ita non putas me subducere quantum supersit? Jam, inquit, tempus angustum est. Angustum erat, si duos rogare deberes. Angustum tempus est, exclamat, nescio quando rogem. Ergo me priorem rogare debuisti.“ Potuerunt autem

verba sic corrumpi, ut omissa primum voce „rogo“ deinde „inquit“ post primum sequentis enunciati verbum poneretur.

Controversiae decimae et quintae hoc est thema: „quidam cum habebat formosam uxorem, peregre profectus est. In viciniam mulieris peregrinus mercator commigravit, illam appellavit de stupro adiectis pretiis (sic legendum cum excerptis pro „adiexit preces“), negavit illa. Decessit mercator, testamento heredem omnibus bonis reliquit formosam et adiecit elogium: pudicam reperi. Adit hereditatem, redit maritus, accusat adulterii ex suspitione. Leguntur p. 174, 21 haec Porci Latronis sententiae pro patre dicentis: *internuntium, puto, illud sollicitantis arripi et denudari iussit, flagella et verbera et omne genus cruciatus poposcit, in plagas deterrimi mancipi vix imbellicitatem muliebris manus continuit. Quotiens quod non una peregrinaretur absentis viri nomen imploravit? quotiens quod non una peregrinaretur absentis viri nomen imploravit? quotiens quod non una peregrinaretur questa est? Nemo sic negantem iterum rogat. Cum quo questa est? Apud quem indignata est?* In his verba „nemo sic negantem iterum rogat“ post verba „quotiens quod non una peregrinaretur questa est“ intelligi non possunt, sequentia autem, „cum quo questa est“ clarum est tertiam esse ex quatuor interrogationibus, quarum ordo aliis verbis interpositis turbaretur. Itaque verba „nemo sic negantem iterum rogat“ ponenda esse censeo post „muliebris manus continuit“, deinde continuanda haec: *quotiens quod non una peregrinaretur absentis viri nomen imploravit? quotiens quod non una peregrinaretur questa est? Cum quo questa est? Apud quem indignata est?*

P. 182 in praefatione libri 7. Seneca narrat Albucium Silum non potuisse effugere contumelias Cestii, mordacissimi hominis. Cuius rei (l. 18) haec exempla affert: *cum in quadam controversia dixisset Albucius: quare calix si cecidit frangitur, spongia si cecidit non frangitur? aiebat Cestius: ite ad illum cras, declamabit vobis quare turdi volent, cucurbitae non volent. Cum dixisset Albucius in illo fratre, qui fratrem parricidi damnatum in exarmata nave dimisit: imposuit fratrem in culleum ligneum, Cestius eadem diciturus sic exposuit controversiam: quidam fratrem domi a patre damnatum noverca accusante, cum accepisset ad supplicium, imposuit in culleum ligneum. Ingens risus omnium secutus est. Sed nec ipsi bene cessit declamatio, paucas enim res bonas dixit. Sed cum a scholasticis non laudaretur: nemo, inquit, imponit hos in culleum ligneum, ut perveniant nescio quo terrarum ubi calices franguntur, spongiae non franguntur. Qualem iocum ultimis inesse oporteat manifestum, sed in eis quae nunc legimus verbis iocus non est. Neque in eis inest quae editio Veneta habet, quae probat Schultingius: „nemo inquit imponeret hos in culleum ligneum ut perveniant“ et q. s., quorum sententia haec esset: „non sunt illi (scholastici) tales ut quis miseritus graviore supplicio abstineat, levius eligat. Equidem primum censeo hanc interrogationem esse: *nemo imponit hos in culleum ligneum?* ut per iocum vindicem sibi quaerat Cestius. Deinde nescio an melius scribatur, ut plus salis insit: *nemo, inquit, imponit hos in culleum ligneum, ut perveniant nescio quo terrarum ubi calices non franguntur, spongiae franguntur?* Hoc est „in terram plane mirificam et horrendam.“ Quod cum a librario non inteligeretur, verba turbata et acumine privata sunt. Exemplum eiusmodi conturbationis exstat p. 281, ubi Seneca hanc de Montano sententiam profert: *habet hoc Montanus vitium, sententias suas repetendo corrumpit, dum non est contentus, unam rem semel bene dicere efficit ne bene dixerit.* Addit idem vitium in Ovidio reprehendendum esse, cuius rei postquam exemplum proposuit finem facit his verbis: *aiebat autem Scaurus rem veram, non minus magnam virtutem esse scire desinere quam scire dicere.* Etenim pro ultimis verbis Bursianum retinuisse, quod in Bruxellensi est „scire dicere quam scire desinere“ merito mireris.*

Controversiae decimae sextae hoc est thema: „mortua quidam uxore ex qua duos filios ha-

bebat duxit aliam. Alterum ex adolescentibus domi parricidii damnavit, tradidit fratri puniendum, ille exarmato navigio imposuit. Delatus est adolescens ad piratas, arcipirata factus est. Postea pater peregre profectus captus est ab eo et remissus in patriam, abdicat illum.“ Marcelli Aesernini has refert Seneca p. 185, 15 sententias; *habes, inquam, frater, si innocens es navigium, si nocens, culleum. Non feci parricidium et — quam facile erramus homines — factum putavi; deliberabam an parerem patri. Frater, inquit, tu primus in domo parricidium facies. Inveni relictum etiam a naufragis navigium.* Ut perversus nunc orationis ordo restituatur primis positus post ultima scribe: *non feci parricidium et — quam facile erramus homines — factum putavi, deliberabam an parerem patri. Frater, inquit, tu primus in domo parricidium facies. Inveni relictum etiam a naufragis navigium. Habes, inquam, frater, si innocens es navigium, si nocens culleum.* Cf. p. 192, 24 *Marcellus dixit: ita si iste parricidium fecit, ideo et ego faciam? Et illam quam supra sententiam retuli: habes, inquam, frater.*

P. 186, 5 *Corneli Hispani. Fateor, volui occidere, sed tunc intellexi quam difficile esset parricidium facere. Ego, inquit, patrem occidere volui? Ne nunc quidem possum.* Recte quidem ille, tum enim etiamsi vellet, patrem occidere non poterat. Neque verba sic interpretanda sunt: „ne nunc quidem patrem sic odi, ut eum mori cupiam“, sed scribendum: *ego, inquit, patrem occidere volui? Ne nunc quidem possem.*

P. 186, 21 *in naufragio navigabat; parum est quod non occidit patrem, immo etiam integra nave dimisit . . . putre, resolutis compagibus, infelix omen navigationis. »Insue me culleo, certe sentiam maria, non ea videbo.« Scissa quoque vela fecerant sinus et armatas classes naufraga praecesserat ratis: scires navigare qui servaturus esset patrem. Etiam pirata dicitur: iterum falso crimine male audit. Cesti Pii. Erat navigium, immo fuerat, sed hoc . . . Crudelis et pertinax noverca post omnia devicta nihilominus saevit. Maria iam quiescunt, praedones iam miserentur, irati iam parcunt.* Post verbum „dimisit“ lacunam statuit Bursianus, quod eum recte facere manifestum est, sed quod putat eam implendam esse verbis „erat navigium, immo fuerat, sed hoc“, id minus probo. Primum enim ea sententia alio modo exprimenda erat, veluti sic: „erat uavigium, immo fuerat, sed iam erat putre“ et q. s. Deinde adversatur ordo sententiarum in excerptis servatarum, qui est hic: „scissa quoque vela fecerant sinus et instructas classes naufraga praecesserat navis. Scires navigare, qui servaturus esset patrem. Erat navigium, immo fuerat. O crudelis et pertinax noverca! post et q. s. Ex „o“ factum est hoc, verbum „set“ fortasse praecedenti „fuerat“ debetur. — Accedit difficultas in verbis: „o crudelis et pertinax noverca! post omnia devicta nihilominus saevit! Maria iam quiescunt, praedones iam miserentur, irati iam parcunt!“ Neque enim omnia devicit noverca, restat alter frater devincendus. Neque vero aliter poteris interpretari vocem „devicta“ quam „penitus victa, feliciter gesta.“ Vt magis placeat: *post omnia delenita nihilominus saevit.*

In tertia parte p. 191, 16 haec narrantur: *de colore inter maximos et oratores et declamatores disputatum est utrumne aliquid deberet dici in novercam an nihil. Passienus et Albucius et praeter oratores magna novorum rhetorum manus in hanc partem transiverant ut qui in novercam inveherentur, fuerunt et illi qui non quidem palam dicerent sed per suspiciones et figuras.* At quinam fuerint praeter Passienum et Albucium et oratores et magnam novorum rhetorum manum, qui in novercam inveherentur, vix dici poterit. Immo excerpta sequenda, quae cum habeant: „magna novorum rhetorum

manus in hanc partem transiit, ut aliquid dici debuerit in novercam,“ scribe: *in hanc partem transierant ut quid in novercam inveherentur.*

P. 193, 7 *Hispanus duro colore usus est. Hoc, inquit, supplicium tamquam gravius elegi. Quid, iste, inquam, insuetur et statim omnem sensum supplicii effugiet? Immo sollicitus pendeat et, quod ne insuti quidem parricidae patiuntur, ipse suam poenam spectet, nihil speret, timeat omnia, peius debet quam ceteri parricidae mori, a patre damnatus est. Et hoc colore per totam declamationem usus est, ut diceret hoc se tamquam gravius elegisse.* Male cum his consentiunt quae leguntur p. 186, 5: „Corneli Hispani. Fateor, volui occidere, sed tunc intellexi quam difficile esset parricidium.“ Quae non dicere potuit Hispanus, si per totam declamationem antea descripto colore usus est. Vt altero loco rhetoris nomen mutandum esse censeam. Quid si illo duro colore non Hispanus usus est, sed Hispo Romanus? De quo haec Seneca p. 264, 17 „Hispo Romanus erat natura qui asperiores dicendi viam sequeretur.“ Argumento sunt quae leguntur p. 74, 13 „Hispo Romanus accusatoria usus pugnacitate,“ p. 153, 4 „quidam personam eius qualem acceperant introduxerunt duram et asperam, ex quibus fuit et Hispo Romanus,“ p. 165, 22 „Hispo Romanus maligne et accusatorie,“ p. 201, 25 „H. R. vehementi colore usus est et duro,“ p. 248, 9 „Hispo Romanus duram quaestionem fecit.“ „Hispo Romanus“ facile mutari potuit in „Hispanus.“

P. 210, 29 *Calvus qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiae habuit usque eo violentus accusator et concitatus fuit, ut in media eius actione surgeret Vatinius reus et exclamaret: rogo vos, iudices, num, si iste disertus est, ideo me damnari oportet?* Pro „accusator“ B habet „actor,“ A „accusor“, excerpta verum habent „actor.“ Pro qua voce cum scripsisset librarius „actus“ errorem statim animadvertens addidit litteras „or“, unde actusor, accusor, accusator.

P. 225, 27 *Albucius et philosophatus est, dixit neminem natum liberum, neminem servum, haec postea nomina singulis imposuisse fortunam.* Nescio an melius scribendum sit cum excerptis: *dixit neminem natura liberum esse, neminem servum.*

